MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80480-20

MICROFILMED 1992

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States -- Title 17, United States Code -- concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material...

Columbia University Library reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

TITLE:

CANTICUM SOPHOCLIUM OEDIPI COLONEI...

PLACE:

BONNAE

DATE:

1862

Master Negative #

92-80480-20

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

```
BKS/PROD  Books        FUL/BIB   NYCG91-B44748         Acquisitions     NYCG-NEH
FIN ID NYCG91-B44748 - Record 1 of 1 - SAVE record
+
 ID:NYCG91-B44748    RTYP:b    ST:s    FRN:     MS:       EL:        AD:04-26-91
 CC:9118  BLT:am      DCF:a    CSC:d   MOD:     SNR:      ATC:       UD:09-04-91
 CP:nyu      L:lat    INT:     GPC:    BIO:     FIC:0     CON:
 PC:r      PD:1991/1862        REP:a   CPI:0    FSI:0     ILC:       MEI:0    II:0
 MMD:d     OR:?    POL:a    DM:f    RR:a013    COL:b     EML:a      GEN:c   BSE:a
 MMD:d     OR:?    POL:b    DM:f    RR:a013    COL:b     EML:a      GEN:a   BSE:a
 MMD:d     OR:?    POL:b    DM:f    RR:a013    COL:b     EML:a      GEN:b   BSE:a
 035      (NNC)MN91-80078-49
 040      NNC‡cNNC.
 245 00   Canticum Sophoclium Oedipi Colonei tractatur‡h[microform].
 260      Bonnae :‡bFormis Caroli Georgi,‡c1862.
 300      xiv p. ;‡c28 cm.
 500      "Index scholarum...in Universitate Fridericia Guilelmia Rhenana..."
 533      Microfilm.‡bNew York, N.Y. :‡cColumbia University Libraries,‡d1991.‡e1
        microfilm reel ; 35 mm.
 583      Filmed;‡fNEH Project (FWC).
```

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm   REDUCTION RATIO: 13½X

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 3/11/92   INITIALS TM

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

(text crit.)
[Sophocles
Oedipus Coloneus

INDEX SCHOLARVM

QVAE

SVMMIS AVSPICIIS

REGIS AVGVSTISSIMI

G V I L E L M I

IN

VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

PER MENSES AESTIVOS A. CIƆIƆCCCLXII

A DIE XXVIII M. APRILIS

PVBLICE PRIVATIMQVE HABEBVNTVR.

Ritschl, Friedrich

PROOEMIO

CANTICVM SOPHOCLIVM OEDIPI COLONEI TRACTATVR.

BONNAE

FORMIS CAROLI GEORGI.

VNIVERSITATIS FRIDERICIAE GVILELMIAE

RHENANAE

RECTOR ET SENATVS

CIVIBVS

S.

Quo quod praeclarius monumentum artis habetur, eo fere impensius vel leviore labe liberum nostro iure optamus. Quapropter operam perdidisse non videbimur, si nobilissimo cantico illi, quo patriae urbis laudes Sophocles in Oedipo Coloneo v. 668 sqq. Br. persequitur, quasdam maculas absterserimus, leviculas illas quidem ex parte, fatemur, sed tamen pristinum nitorem non nihil infuscantes. Continebimus autem nos in praesens in altera stropha et antistropha, quarum haec in antiquiore Laurentiano, et a prima quidem manu, species est:

ἔστιν δὲ οἷον ἐγὼ
γᾶσ ἀσίασ οὐκ ἐπακούω
οὐδ' ἐν τᾶι μεγάλαι δωρίδι νάσωι
πέλοποσ πώποτε βλαστὸν
φύτευμ' ἀχήρητον αὐτόποιον,
ἐκχέων φόβημα δαΐων,
ὃ τᾶιδε θάλλει μεγίσται χώραι,
γλαυκᾶσ παιδοτρόφου φύλλον ἐλαίασ·
τὸ μέν τισ οὔτε νεαρὸσ οὔτε γήραι
σημαίνων ἁλιώσει χειρὶ πέρσασ·
ὃ γὰρ εἰσαιὲν ὁρῶν κύκλοσ
λεύσει νιν μορίου διὸσ
χ' ἁ γλαυκῶπισ ἀθάνα.

ἄλλον δ' αἶνον ἔχω
ματροπόλει τᾶιδε κράτιστον
δῶρον τοῦ μεγάλου δαίμονοσ εἰπεῖν
αὔχημα μέγιστον,
εὔιππον εὔπωλον εὐθάλασσον.
ὦ παῖ κρόνου, σὺ γάρ νιν εἰσ
τόδ' εἷσασ αὔχημ' ἄναξ ποσειδὰν,
ἵπποισι τὸν ἀκεστῆρα χαλινὸν
πρώταισι ταῖσ δ' ἔκτισασ ἀγυιαῖσ.
ἁ δ' εὐήρετμοσ ἔκπαγλ' ἁλία χερ-
σι παραπτομένα πλάτα
θρώισκει τῶν ἑκατομπόδων
νηρηΐδων ἀκόλουθοσ.

Vbi manu secunda correctum est v. 698 *ἀχείρητον*, v. 699 *ἐγχέων*, v. 701 *παιδοτρό-* (ε superscript) *φου*, in Triclinianis autem exemplaribus aliisve apographis *δ' οἷον* v. 694, *μέγιστα*

700, *χερὶ* 703, *λεύσσει* 705, *χὰ* 706, *ἵπποισιν* 714, *ταῖσδε κτίσασ* 715, *θρώσκει* 718, *νηρῄδων* 719, inutilia ut silentio praetermittamus.

In his quoniam principia utriusque strophae discrepare numeris v. 697. 710 apparebat, metrorum concinnitati aut addendo in antistropha consultum est aut in stropha delendo. Nec per se est profecto cur alterutram emendandi viam vincat altera: quando nec incommode vel inusitate *δῶρον τοῦ μεγάλου δαίμονος εἰπεῖν*, *χθονὸς αὔχημα μέγιστον* dicitur, id quod Porsono et Hermanno placuit, nec resectis cum F. W. Schmidtio et Schneidewino *Πέλοπος πώ—* syllabis quae restant, *οὐδ' ἐν τᾷ μεγάλᾳ Δωρίδι νάσῳ ποτὲ βλαστόν*, quicquam quo displiceant habent. Itaque cum non sane minus facile aliquod intercidere vocabulum casu potuerit quam aliquid adscribi interpretandi caussa, consequitur ut, num quod argumentum in promptu sit necessitatem habens, quaeratur. Eiusmodi autem non unum praesto esse, sed duo intellegimus eaque in eandem partem valentia. Primum enim *Πέλοπος* nomen, si quid sapimus, non tantum non desideratur omissum, sed additum tam offendit ut Sophocli tribui prorsus nequeat. Quem decebat aut *τὰν μεγάλαν Δωρίδα νᾶσον* dicere aut *τὰν μεγάλαν Πέλοπος νᾶσον* simpliciter, nullo modo iunctim utrumque, id quod in geographum cadit, in poetam minime. Alterum, quod nollemus item neglectum ab interpretibus, ad *πώποτε* pertinet, quam particulam ab his quidem verbis ipsa vis sententiae segregat. Ita enim quod prodit, 'quale vel in Asia vel in Peloponneso nondum umquam sponte progenitum accipio', sic dictum est profecto, quasi, quod adhuc factum non sit, posse in posterum fieri cogitetur: quod hinc esse alienissimum apparet. Simplex requiritur 'numquam' 'non umquam' notio, hoc est *οὔ ποτε*, non *οὐ πώποτε*: nec aliter in simili caussa poetas locutos reperio. Hinc igitur ubi dignam Sophocle unam hanc esse orationem perspexerimus, *οὐδ' ἐν τᾷ μεγάλᾳ Δωρίδι νάσῳ ποτὲ βλαστόν*, consequens est sane ut in antistropha aliquid item deberi interpreti credatur: quod non potest aliud esse nisi adiectum v. 709 *εἰπεῖν*, coalitum id quidem cum fine versus similiter atque cum principio strophici *Πέλοπος* illud. Nam eo infinitivo cum Nauckius negat carere nos posse, non video quid in his vituperes: 'aliam laudem (laudationem) habeo' h. e. 'alia laus in promptu mihi est'. Pro quo cum minime negemus sat commode etiam *ἄλλον δ' αἶνον ἔχω εἰπεῖν* dici potuisse, ipsa caussa aperta est cur, quod et plenius et planius dici sentiret, interpres adscriberet. Sic igitur cum ipsius sententiae elegantia perfectam numerorum concinnitatem recuperasse videbimur:

ἔστιν δ' οἷον ἐγὼ γᾶς Ἀσίας οὐκ ἐπακούω
οὐδ' ἐν τᾷ μεγάλᾳ Δωρίδι νάσῳ ποτὲ βλαστόν —

ἄλλον δ' αἶνον ἔχω ματροπόλει τᾷδε κράτιστον,
δῶρον τοῦ μεγάλου δαίμονος, αὔχημα μέγιστον·

Vbi cum Bergkius, item deleto *Πέλοπος*, sed servato cum *πω* tum *εἰπεῖν*, de sua coniectura *σχῆμα μέγιστον* scripsit, fecit id ille quidem ut strophicas *πώποτε βλαστόν* syllabas exaequaret, sed fortasse etiam eo motus est quod mox eadem *αὔχημα* vox redit v. 713. Verum aut fallimur aut dedita id opera poeta sic instituit, quo maiore cum vi beneficii a Neptuno conlati praestantiam efferret in hunc modum: 'splendorem Athenarum maximum, qui est equester navalisque: o nate Saturno, tute es enim qui eo ipso in splendore illas conlocaveris'. Nec per se illud placere *σχῆμα* potest, ut quod aut misere langueat et prosam potius orationem redoleat, aut ad specie equinae, si forte, dignitatem relatum certe non *μέγιστον* adiectivum, sed *κάλλιστον* vel *μεγαλοπρεπέστατον* vel aliquod simile sibi postulabat. Fines autem modestiae merito iudicabimus Nauckium excessisse, qui reliquis servatis omnibus quae convellisse nostra disputatione videmur, vim et manus innocentissimis vocabulis eisdemque gravissimis intulit, hoc emendatorum nimirum versuum exemplo proposito in appendice editionis Schneidewiniae:

οὐδ' ἐν Δωρίδι νάσῳ Πέλοπος πώποτε βλαστόν

δῶρον δαίμονος εἰπεῖν, μεγαλαύχημα μέγιστον.

Quid enim quaeso aptius ad singularem laudem Athenarum declarandam, quam in tantae magnitudinis terra nusquam naturaliter progenitam *) nobilem oleam dici? aut quid ad Neptunii numinis potentiam significantius, quam *τὸν μέγαν δαίμονα* dici qui et fluctuum saevitiae imperitaret et superbissimarum audacissimarumque artium inventor esset? quid denique convenientius in tragicorum consuetudinem quam concinnus lusus syllabarum ille, quo pariles in parilibus locis sonos (*τᾷ μεγάλᾳ — τοῦ μεγάλου*) stropha et antistropha recipiunt? similiter atque v. 703. 716 invicem sibi relata sunt *ἀλιώσει χερί* et *ἁλία χερσί*. Quae omnia cum tam sagacem virum fugere minime potuerint, videtur is inventi illius sui, quod est *μεγαλαύχημα*, lenociniis adeo captus esse ut magnifico vocabulo, quod intellegeret cum *μεγάλου δαίμονος* et *μέγιστον* omnino non posse eodem versu consociari, quovis pacto locum dare adgrederetur. Et tamen ne ipsa quidem *μεγαλαύχημα μέγιστον* nomina concedimus sine quaesiti acuminis

*) Nam, ne quid erres, sic illa et construenda sunt et interpretanda necessario: *οἷον οὐδαμοῦ ἀχείρητον βλαστόν ποτε φύτευμα ἐπακούω*, minime sic divellenda interpungendo: *οἷον οὐδαμοῦ βλαστόν ποτ' ἐπακούω, φύτευμ' ἀχείρητον ἐλαίας*. Omnino enim et Sophoclis aetate et diu ante sat largum olearum proventum etiam praeter Atticam fuisse quis est qui neget? Sed communi matre Attica oriundas fama ferebat, non *αὐτόχθονας*. — Neve 'olim' potius quam 'umquam' cum quibusdam *ποτέ* particulam interpretere, reputandum est id hac sane ratione fieri potuisse: *οἷον ἄλλοθι ἐπακούω οὐ βλαστόν ποτε*, sic autem *οἷον οὐκ ἐπακούω ἄλλοθί ποτε βλαστόν* non posse nisi aut perversa sententia aut prava oratione.

tali artificio iungi quale hic poeta prorsus detrectet, ingeniosus ille quidem artifex orationis, non argutulus.

Non minus manifesta numerorum corruptela versus 702 laborat cum 715 conlatus: τὸ μέν τις ο ὔ τ ε ν ε α ρ ὸ ς οὔτε γήρᾳ = πρώταισι ταῖσδε κτίσας ἀγυιαῖς: quorum mensuram satis hodie constare putamus non hanc esse ◡–́◡–◡̄ ◡–́◡–◡, sed hanc potius ◡–́◡– –́◡–◡–◡. Vna igitur τε vocula deleta τὸ μέν τις ο ὐ νεαρὸς οὔτε γήρᾳ cum Porsono placebat tum Reisigio. Quorum ille quid de metro senserit, ignoratur, quem tamen de soluta in duas breves longa cogitasse aegre credas: synizesi bisyllabum fieri νε̄αρός Reisigio visum, 'ut in ῥέα docuerunt ad Hesiodum': quo exemplo facile intellegis minime satis fieri. Quodsi propiora circumspicimus, in promptu sunt sane νεανίας νεανικός (sive νανίας νανικός cum Dindorfio scripseris) trisyllaba apud Aristophanem Vesp. v. 1067. 1069, quo fortasse νεανίαι accedit Euripidis Cyclopi v. 28 coniectura redditum: item νῆνις pro νεῆνις apud Anacreontem fr. 14, 3 in Bergkii poetis lyricis p. 778: item νεοσσός νοσσός et finitimâ cum alibi tum apud Menandrum, quae Lobeckius tractavit in Phrynichum p. 206 sq. Sed tamen ne haec quidem sufficere ad firmandum νε̄αρός Sophoclium apparet: quando in omnibus longa syllaba est quacum ε̄ vocalis coalescit. Contra memorabili exemplo mensuram trochaicam ipsum νεαρός vocabulum apud Pindarum tuetur Pyth. X, 25, καὶ ζώων ἔτι νεαρόν, qui versus his respondet constantissime longam servantibus paenultimam: τῶν δ' ἐν Ἑλλάδι τερπνῶν — ὀλβία Λακεδαίμων — γεύεται γὰρ ἀέθλων — et qui sunt reliqui. Vt non profecto inepte agere videatur, qui, quod Pindaro licuit, idem in lyrico genere licuisse Sophocli arguat: nisi tamen gravissima dubitatio aliunde nascatur. Non haerebimus nunc in οὐ — οὔτε particularum societate: quam diu est ex quo ab Elmsleii Reisigiique dubitationibus οὐ — οὐδέ expetentium Hermannus vindicavit in Eur. Med. p. 330 sqq. 400 sqq. Verum quod νεαρός vulgo creditur esse 'iuvenis', id quidem prorsus falso credi sciendum est: ad teneram enim illud aetatem puerilem, haud quaquam ad iuvenilem spectare exempla poetarum ad unum omnia evincunt. Infantes Homerus cogitat cum παῖδες νεαροὶ χῆραί τε γυναῖκες dicit Iliadis II, 289: de puero διαυλοδρόμῳ Pindarus loquitur l. s. s.: de filiolis Thyestae ab Atreo mactatis dicta sunt τέλεον νεαροῖς ἐπιθύσας in Agamemnone v. 1472 ed. Herm.: adultorum et nondum adultorum oppositio fit ibidem v. 344 μήτε μέγαν μήτ' οὖν νεαρῶν τινα, item puerorum senumque v. 76 νεαρὸς μυελός (ἰσχὺς ἰσόπαις) et ἰσόπρεσβυς: puerulum Orestem Iphigenia dicit βρέφος ἔλιπον ἀγκάλαις νεαρὸν τροφοῦ, νεαρὸν ἐν δόμοις v. 835 ed. Nauck.: Ganymedis πρόσωπα νεαρά idem Euripides Troad. 835: quasi puerilem teneritatem et mollitiem oris idem significat Hippolyto σάρκας νεαρὰς ξανθόν τε κάρα (διαλυμανθείς) tribuens Hipp. 1343. Nec Pindarus repugnat Isthm. VIII, 47: καὶ νεαρὰν ἔδειξαν σοφῶν στόματ' ἀπείροισιν ἀρετὰν Ἀχιλέος: recordandum est enim

sexennem coepisse Achillem virtutis iuvenilis documenta edere eodem teste Pindaro Nem. III, 49 (ἑξέτης τοπρῶτον, ὅλον δ' ἔπειτ' ἂν χρόνον), novennem autem filiabus Lycomedis se miscere, non profecto iuvenem sed adulescentulum, auctore Apollodoro III, 13, 8, vel 'vix bis senos annos' agentem secundum Statium Achill. II, 396, brevi autem temporis spatio interiecto ad expugnandam Troiam proficisci *). Nec prosae orationis usus differt: unde unum potissimum exemplum promimus, quo, quid inter νέος et νεαρός notiones intersit, apertissime declaratur, Xenophontis in Cyropaedia I, 4, 3: ἀλλ' ὥσπερ γὰρ ἐν σώμασιν, ὅσοι ν έ ο ι ὄντες μέγεθος ἔλαβον, ὅμως ἐμφαίνεται τὸ ν ε α ρ ὸ ν αὐτοῖς, ὃ κατηγορεῖ τὴν ὀ λ ι γ ο ε τ ί α ν, οὕτω e. q. s. — Hanc igitur tenerae aetatis notionem cum νεαρός vox apud antiquos certam et constantem servet, consequitur ut absurdo epitheto in Atticam inruens hostis νεαρός vocetur. Ergo de emendandi necessitate rectissime, quamquam non illa quae primaria est caussa moti, cum alii tum Hermannus cogitarunt, adsciscens is quidem ν έ ω ρ ο ς formam, non eam synizesi contractam cum Wundero τὸ μέν τις οὐ νέωρος οὔτε γήρᾳ, sed leni transpositione versui sic adhibitam τὸ μὲν νέωρός τις οὔτε γήρᾳ, 'omissa ut saepe in priore membro negatione'. Quae forma cum sat locupletes testes Photium p. 297, 9 et Hesychium p. 152, 423 habeat νέωρον, νέον prodentes, etsi non est sane cur ita scribere potuisse Sophoclem morosius neges, tamen certam vel evidentiam vel probabilitatem ea emendatio tam diu non habet, quam diu alia in promptu est non minus commoda aut etiam commodior. Qua quidem laude propositum a Schneidewino ν ε ώ ρ η ς (vulgo νεωρής) nequaquam ornamus, quod id, vix differens a νέορτος, tantummodo de rebus dictum esse videtur ut νεώρης βόστρυχος, φόβος νεώρης, νεῶρες πῆμα, de hominibus non item, omnium autem minime de hominibus iuventute valentibus. Idem haud dubie in ν ε ο χ μ ό ς cadit, in quod novimus qui incideret: nam Ἄρης νεοχμὸς ἐμπεσὼν στρατῷ Ionis fr. 63 p. 577 N. non est profecto alius nisi νέος πόλεμος, in Antigona autem Sophoclis qui ferebatur v. 156 βασιλεὺς χώρας Κρέων ὁ Μενοικέως νεοχμὸς νεαραῖσι θεῶν ἐπὶ συντυχίαις χωρῶν et recens potius quam iuvenis interpretandus erat et cessit nunc probabili Dindorfii emendationi νεοχμοῖσι — συντυχίαις, id quod ipso νεαραῖσι

*) Simili fortasse ambiguitate, atque Pindaricum hoc vel illud Hippolyti, Euripidis exemplum fuit apud Antiatticistam p. 109, 15: νεαρός· ἀντὶ τοῦ νέος. Εὐριπίδης Ὑψιπύλῃ, quod quid sibi velit testimonium, parum liquet. Quamquam si, quod est omnium simplicissimum, sequimur, non alium nisi puerulum Opheltam dixisse νεαρόν poeta videbitur: quem νήπιον παῖδα Apollodorus III, 6, 4 appellat, νήπιον ὄντα παῖδα καὶ ἄγαν ἄωρον τελευτήσαντα Plutarchus consol. Apoll. p. 110 F, παιδίον scholiasta Clementis Alexandrini, cuique τὸ νήπιον ipse poeta tribuerat fr. 754 in Nauckii Trag. fragm. p. 468. — Ad Homericum autem versum apertum est Photium p. 291, 10 cum Suida p. 946, 7 spectare: νεαροί· νέοι, νήπιοι, itemque Hesychium p. 144, 186: νεαροί· νεογνοί, νήπιοι. οἱ νέοι. Nisi hic νήπιοι, νέοι scribendum. — Quodsi dignum explicatione grammatici νεαρός vocabulum habuerunt, tamen eodem illos ad explicanda alia exquisitiora usos esse satis ea exempla docent quae docta adnotatione Dindorfius composuit in Sophoclis Oed. Col. 475.

glossemate expulsum est. Simillimo perspecto glossemate (νεαρᾶς) ab eodem Dindorfio in Oed. Col. v. 475 restitutum οἰὸς νεαλοῦς monere de νεαλής voce potest. Nam etsi illic sane non alia nisi 'novella' ovis cogitatur, nec alibi aliud nisi 'recens et integrum', velut cum ἵπποι vel πολέμιοι sive στρατιῶται νεαλεῖς καὶ ἀκέραιοι vel ἀήττητοι dicuntur (quo etiam Xenophontis exemplum Cyrop. VIII, 6, 17 pertinet, non recte ad τοῦ νέου καὶ ἀκμάζοντος notionem traductum a Bergkio in Aristoph. fragm. p. 1101): tamen vix ullum dubitationi locum relinquit Aristophanis in Lemniis versus apud Photium p. 290, 16 ἕως νεαλής ἐστιν αὐτὴν τὴν ἀκμήν, quo iam Lobeckius usus in Phryn. p. 375. Vt multo saltem probabilius de hoc nomine quam de νεάζων participio cum Schneidewino cogites. Nam et cum τὸ νεάζον Deianira dicit Trachin. 114 h. e. ἡ νέα ἡλικία scholiasta interprete, et cum Menander ὡς ἡδὺ πρᾶος καὶ νεάζων τῷ τρόπῳ πατήρ fr. 190 (191), 'iuvenescendi' notio subest vel 'adulescendi' (atque 'adulescentem moribus' in simili Menandriae sententia Plautus dixit Mil. glor. 661): unde fit ut μειρακιεύεσθαι verbo veteres interpretes utantur, numquam eis quibus vegeta et robusta iuventus declaratur h. e. vel ἡβᾶν vel ἀκμάζειν. Eam autem ipsam notionem requiri ut quod maxime Dindorfius sensit verissime. Itaque omnes huic numeros veritatis habere haec emendatio visa est: τὸ μέν τις οὔθ' ἁβὸς οὔτε γήρᾳ. In qua laudamus servatam τὶς pronominis exquisitiorem posituram, quam deberi librariis non est valde simile veri, relinqui autem necesse est, sive νέωρος sive νεαλής probaveris, quae duo scribi fortasse a Sophocle potuisse concessimus: ipsum ἁβός inventum laudare non possumus, quod cum Schneidewinus primo calidius amplexus esset, post prudenter diffidere ipse coepit. Quippe ex uno Theocriti versu V, 109 μή μευ λωβάσησθε τὰς ἀμπέλος, ἐντὶ γὰρ ἁβαί adiectivum Dindorfius repetiit, quod nec in codicibus ibi proditum esset, sed Meinekii demum coniectura effectum ex ἇβαι substantivo, nec ullum praeterea vel testem vel auctorem haberet. Nunc autem postquam illud ipse Meinekius missum fecit in supplemento editionis novissimae p. 474, praeclare in auxilium vocato Hesychio p. 262, 14: ἥβη· .. ἔστι δὲ .. καὶ ἄμπελος, sperare licet fore ut ne Dindorfius quidem diutius teneat. — Vnum restat quo, nisi vehementer fallimur, ipsam Sophoclis manum redipiscamur: τὸ μέν τις ἀκμαῖος οὔτε γ. Eam vocem hoc quidem significatu si non habet alibi Sophocles, at Aeschylus bis habet: Pers. 436 Περσῶν ὅσοιπερ ἦσαν ἀκμαῖοι φύσιν, ψυχήν τ' ἄριστοι κεὐγένειαν ἐκπρεπεῖς: Eumen. 397 πτερῶν ἄτερ ῥοιβδοῦσα κόλπον αἰγίδος, κώλοις ἀκμαίοις τόνδ' ἐπιζεύξασ' ὄχον.

Verum nondum dimittimus hunc versum, in quo satis mirari non possumus patienter toleratum ab editoribus γήρᾳ σημαίνων, quod esse sanum confidentissime negandum est. Quis enim illa, qui Graece sciat, nisi aut 'senectuti imperans' vertat aut 'imperans senectute' h. e. non velut fortitudine vel alia re qualibet ipsius imperii

effectrice? Quid igitur esse dicamus, quod γήρᾳ σημαίνων ille cum Reisigio tum Hermanno tum ceteris ut videtur omnibus est 'senex imperator'? Verum vix dubitamus quin gnavus e sociis nostris academicis adulescens viderit Alfredus Schoenius Dresdensis, temperi ille Homerici versus recordatus Il. XVII, 197 πατρὶ φίλῳ ἔπορον, ὁ δ' ἄρα ᾧ παιδὶ ὄπασσεν γηράς: cui exemplo finitima Etymologicum magnum p. 230, 50 iunxit γηράντεσσι τοκεῦσι Hesiodi Op. 188, aliorum autem ut facile apparet poetarum γηράντων ἀνδρῶν et γηράντας τιμᾶν. Disceptarunt eam formam Dindorfius in Stephani Thesauro II p. 609 sq., Lobeckius ad Buttmanni gramm. II p. 13. 138 et Pathol. I p. 383 sq., eandemque Alexidis versui restituendo t. III p. 512 Mein. probabiliter Elmsleius adhibuit ὁ μὲν γὰρ ἀπογηρὰς ἀηδὴς γίγνεται, ubi ἀπογηράσκων libri Athenaei. Sed Sophocli tamen hac leni sane mutatione nondum satis factum esse intellegimus: γηράς enim, quoniam non est adiectivum sed participium praeteriti, non potest 'senex' esse simpliciter, sed 'senex factus' potius, quo fit ut et molestissima prodeat et inficetissima γηρὰς σημαίνων participiorum consociatio. Verum enimvero ne sine γηράς quidem placere hoc ipsum σημαίνων participium potest. Fac enim γηραιός scriptum esse vel etiam γέρων, itane offensio tollitur? Non hercle ullo modo: quod enim requiritur hoc est, non ut sive iuvenis sive senex dicatur qui imperet, sed ut imperator, sive is iuvenis est ut fuit Xerxes, sive senex ut Archidamus. Nam et sensum poetae et vim γηράς participii licebit etiam explicatius sic interpretari: 'quod dux nullus hostilis, sive is ut Xerxes iuventutis robore superbiens, sive exuta iuvenili ferocia propriam senectutis gravitatem auctoritatemque consecutus ut Archidamus, umquam exstinguet'. Id igitur apparet, si semet digna oratione uti poeta vellet, non dici satis languido σημαίνων participio, sed nervoso σημάντωρ substantivo oportuisse, cuius illud nunc interpretamentum habetur, praestoque fuisse poetae φιλομήρῳ versus notissimos Iliadis IV, 429 κέλευε δὲ οἷσιν ἕκαστος ἡγεμόνων, οἱ δ' ἄλλοι ἀκὴν ἴσαν . . . σιγῇ δειδιότες σημάντορας vel si quae sunt similia exempla. Nunc autem cum his, quae via ac ratione ex obscurata librorum memoria eruisse nobis videmur:

τὸ μέν τις ἀκμαῖος οὔτε γηρὰς
σημάντωρ ἁλιώσει χερὶ πέρσας —

compara mihi quaeso incredibilia illa, quae parum locuplete vel auctore vel impulsore Nauckius nuper periclitatus est audacissime. Hartungius enim cum in οὔτε νεαρὸς suspicatus esset οὔτ' ἦρος latere, hinc ille nimis credulus profectus talia poetae coniectando tribuit: τὸ μέν τις οὔτ' ἦρος οὔτ' ἐν ὥρᾳ χειμώνων ἁλιώσει e. q. s. Hocine vero est emendare scriptores an et ludere lectores et in ludibrium aliorum artem nostram omnem vertere? Et ut in ipsa sententia moremur parumper, umquamne quisquam fando inaudivit vel facilius aut difficilius vel usitatius aut inusitatius verno quam hiberno tempore arboribus sive iniuriam fieri sive exitium parari?

Tertium exemplum discrepantiae metricae ad ea quae insequuntur pertinet. Vbi cum aut desit in antistropha una syllaba aut in stropha redundet, illic quidem aliquid intercidisse ratus Bergkius cum ad Triclinii scripturam παραπεπταμένα rediit unius litterae accessione conversam in παραιπεπταμένα, prorsus non intellegitur quid tandem χερσί nomine faciat, quod quidem cum παράπτεσθαι verbi participio constructum esse subtili iudicio primus Schneidewinus pervidit. Contra in strophico versu subesse vitium Porsonus suspicatus ex εἰσαιέν a se effectum αἰέν editoribus post se omnibus mirabiliter probavit. Quid autem? hocine artis est, in simplicem et tritam cum formam tum notionem mutare rariorem fortioremque? Recordandum erat potius, quotiens pristinae δέ particulae sedem vulgaris γάρ occupasset, ut sic exaequasse versus poetam perspiceretur:

σημάντωρ ἁλιώσει χερὶ πέρσας· ὁ δ' ἐσαιὲν ὁρῶν κύκλος —

et σὰ δ' εὐήρετμος ἔκπαγλ' ἁλία χερσὶ παραπτομένα πλάτα —.

In qua scriptura unum restat quod defendatur, non ut gratius et nitidius, sed ut necessarium. Reisigius enim cum responsioni antistrophicae sic consulendum putaret, ut ὁ γὰρ εἰσ|αιὲν ὁρῶν κύκλος et χερσὶ πα|ραπτομένα πλάτα invicem sibi referret concinnitate quam maxime inconcinna, non potuit quin eos qui praecedunt versus una adiecta σά syllaba sic exaequaret: σημαίνων ἁλιώσει χερὶ πέρσας — ἁ δ' εὐήρετμος ἔκπαγλ' ἁλία σά. Frigere additum σά Hermanno visum: et ita quidem conlocatum friget reapse. Quod enim exspectatur, non hoc est: 'remipes autem per mare ratis tua salit', sed hoc potius: 'tua est autem, quae remipes per mare ratis salit', postquam illud praecessit 'tu es, qui frenare equos docueris'. Ergo dubitari prorsus non potest, quin verum Musgravius viderit ἀγυιαῖς· ἁ δ' — mutans in ἀγυιαῖς· σὰ δ' —. Nam ad Neptunum auctorem referri navigandi artem cum Schneidewinus ait e nexu sententiarum perspici, quid est tandem cur noluisse poetam, quod nexus sententiarum flagitaret, verbis efferre putemus quae quidem in promptu essent longe commodissima?

Licebit igitur nunc strophae et antistrophae speciem universam hanc commendare quam infra scripsimus:

ἔστιν δ' οἷον ἐγὼ γᾶς Ἀσίας οὐκ ἐπακούω
οὐδ' ἐν τᾷ μεγάλᾳ Δωρίδι νάσῳ ποτὲ βλαστὸν
φύτευμ' ἀχείρητον αὐτόποιον,
ἐγχέων φόβημα δαΐων, ὃ τᾷδε θάλλει μέγιστα χώρᾳ,
γλαυκᾶς παιδοτρόφου φύλλον ἐλαίας·
τὸ μέν τις ἀκμαῖος οὔτε γηρὰς
σημάντωρ ἁλιώσει χερὶ πέρσας· ὁ δ' ἐσαιὲν ὁρῶν κύκλος
λεύσσει νιν Μορίου Διὸς χἀ γλαυκῶπις Ἀθάνα.

ἄλλον δ' αἶνον ἔχω ματροπόλει τᾷδε κράτιστον,
δῶρον τοῦ μεγάλου δαίμονος, αὔχημα μέγιστον,
εὔιππον εὔπωλον εὐθάλασσον.
ὦ παῖ Κρόνου, σὺ γάρ νιν εἰς τόδ' εἷσας αὔχημ', ἄναξ Ποσειδάν,
ἵπποισιν τὸν ἀκεστῆρα χαλινὸν
πρώταισι ταῖσδε κτίσας ἀγυιαῖς·
σὰ δ' εὐήρετμος ἔκπαγλ' ἁλία χερσὶ παραπτομένα πλάτα
θρώσκει τῶν ἑκατομπόδων Νηρῄδων ἀκόλουθος.

Pauca restant secundaria, quae ne tetigimus quidem supra. Eorum gravissimum ad ἀχείρητον pertinet v. 698 positum. Quod cum Laurentianus servet, antiquior sane Laurentiano testis Pollux Onom. II, 154 ἀχείρωτον prodidit: ἀχείρωτον δὲ Σοφοκλῆς εἴρηκε τὸ ἀχειρούργητον, δυσχείρωτα δὲ Δημοσθένης. Nam ibi quod ex antiquissimo Parisino Bekkerus ἀχειρόδοτον potius protulit, manifestum est soli χειριδωτοί et χειρόδοτον vocum recordationi deberi quas paullo ante grammaticus memoraverat § 151. 152. Nauckius autem cum non Oedipi versum, sed quemlibet alium Sophoclium spectasse Pollucem dicit, ita quid proficiat plane nos praeterit: nam quocumque in loco legit grammaticus, ea tamen significatione sibi lectum testatur quae est ἀχειρούργητον: quam quo tandem iure dices in aliam fabulam rectius quam in Oedipum convenire? Vnum quod agitur hoc est ut, utrum recte illi formae ea significatio tribuatur an vitiato codice grammaticus usus sit, quaeratur. Et illud quidem qui negarunt, non possunt non verissime negasse videri. Nam etsi unum sane χείρωμα nomen semel unus Aeschylus sine violentiae ullius notione posuit in illo τυμβοχόα χειρώματα v. 1006 fabulae Thebanae, tamen et alibi χείρωμα et δυσχείρωμα et ipsum χειροῦν χειροῦσθαι verbum et hinc derivata omnia χείρωσις χειρωτός χειρωτικός εὐχείρωτος δυσχείρωτος ipsumque ἀχείρωτος tam constantem propriamque sibi violentiae notionem servant ut, qui ἀχείρωτον φύτευμα legeret simpliciter, non ullo modo aliud posset nisi 'invictum' 'insuperabile' interpretari: haud dubie id quidem praeter sensum poetae, qui in hanc partem versu demum 702 cogitationem deflexurus erat. Ergo hac offensione gravissima ac vere ἀχειρώτῳ liberae membranae Laurentianae *) cur tamen

*) φύτευμ' ἀχείρητον cum sit in lemmate scholiastae, huius autem interpretatio talis: ὅτι ἀπέσχοντο τῶν μορίων οἱ Λακεδαιμόνιοι e. q. s., apparet ipsius Laurentiani scripturam ἀχείρητον etiam in scholiorum collectione antiquitus traditam esse, ad eam autem quae subrepsit formam ἀχείρωτον servatum nunc scholion pertinere, id quod Hermannus vidit rectissime. — Ceterum mira est et vix incorrupta quae in Συναγωγῇ λέξεων χρησίμων p. 474, 4 Bekk. (175, 3 Bachm.) glossa exstat: ἀχείρωτον, ἄμωμον. Quae si forte ad Sophoclem spectet, mirer

fidem non fecerunt ἀχείρητος formae? Quippe non exstare χειρέω verbum responsum est, non magis igitur fingi illinc derivatum χειρητός vel ἀχείρητος potuisse. Debere id ἀχείριστον potius esse a χειρίζω ductum ratiocinatus olim Doederleinius adeo persuasit nuper Hartungio, is ut eam formam ipsi scilicet poetae redderet, proxime autem a Laurentiani fide abesse sese Nauckius narraret ἀγήρατον Sophocli restituentem. Quid autem? illicine ne ad proxima quidem verba Pollucis perrexerunt legendo, quibus is ἐγχειρητής ἐγχείρησις Aristophania, ἐπιχειρηταί Thucydidis, ἐγχειρητικωτέρους Xenophontis, ἐγχειρήματα Demosthenis, ἐπιχειρήματα multorum, dedita opera composuit? An nihil in hoc genere analogia valet? quae si et ἐγχειρεῖν et ἐπιχειρεῖν et hinc nata εὐεπιχείρητος δυσεπιχείρητος προεπιχείρητος ἀντεπιχείρητος probavit, qua confidentia negabimus a poeta potuisse etiam ἀχείρητος fingi? Vt, si modo diffidendi venia sit, haud paullo rectius de αὐτόποιον quam de ἀχείρητον aliquid scrupuli relictum fateare: quo tamen nunc excurrere longum est.

Reliqua, quae esse secundaria dicebamus, in talibus versantur quae nostra quidem sententia aut inutiliter prorsus aut adeo futiliter nuperi critici temptaverint. Illuc φίτυμα pertinet pro φύτευμα repositum v. 698, de quo consideratum est Dindorfii iudicium; item v. 702 τὰν οὔτις Triclinio duce pro τὸ μέν τις οὐ substitutum, quod esse expers artis intellegimus. Anglus autem editor Blaydesius cum et v. 700 μάλιστα pro μέγιστα suasit et v. 717 χερσὶν ἐρεσσομένα πλάτα (quae quidem digna mentione Nauckio visa), certe hac laude non est fraudandus, 'quod Graeculi scholiastae personam induere satis sollerter didicit *).

Expolire nobile canticum studuimus: perpolitum non spondemus. Quippe incerta miscere certis veriti sumus, ne horum fidem infringere illorum ambiguitate videremur. Sed tacere tamen, quae pungunt animum, religioni ducimus. Numquam autem non pepugere consociata v. 711 εὔιππον εὔπωλον εὐθάλασσον epitheta, quae nullis vel Simmiae vel aliorum exemplis a gravissima dubitatione liberabis. Nam εὔιππον εὔπωλον ut sociari sine tautologiae vitio potuisse aliquantisper largiamur, at in quo cardo rei vertitur hoc est, quod, cum bipertitum cogitetur ad Neptunum pertinens beneficium omne, id epithetis illis ita describitur, quasi aut tripertitum sit aut alterius

ni αὐτόματον lateat in ἄμωμον, idem ut huic grammatico vitium, quod Polluci, fraudi fuerit. Nisi tamen ille veram potius notionem interpretatus scripsit ἄμαχον.

*) Sero ipsam Blaydesii editionem Londinensem nacti non sine aliquo stupore cognovimus ὅλῳ τῷ θυλάκῳ satorem coniecturarum aut nulla arte excogitatarum aut pueriliter prorsus fusarum. Quo pertinent οὐκ ὂν ἀκούω vel οὐδάμ' ἀκούω pro οὐκ ἐπακούω v. 695, λογχῶν pro ἐγχέων 699, παντοτρόφου 701, ἧρας pro εἴσας 713, ἑλισσομένα pro παραπτομένα 717. Vnum est paullo opportunius ceteris: τὰν οὔτε νεαρός τις (sic) οὔτε γήρᾳ συνναίων ἁλιώσει v. 703, quod saltem eo commendatur quod est Graecum.

partis praestantiam multum virtus alterius vincat, ut quae non item simplici voce efferatur ut εὐθάλασσον, sed duabus designetur longe fortius. Haec autem duo principalia, quae sunt ars equestris et ars navalis, prorsus inter se exaequari ipsa sana ratio iubebat. Quodsi in illa poeta vellet alendorum equorum eorundemque regendorum notiones distinguere (eo enim spectare εὔπωλον atque εὔιππον creditum est Hermanno), iure quaeras cur non in hac quoque velut fabricandarum navium earundemque gubernandarum artem distinxerit: nec enim minus vel hoc quam illud commodum vel illud quam hoc exile. Vel ut iam verius dicamus: utrumque exile, commodum neutrum. Atque ipse poeta, quid voluerit quid non, tam certe et aperte declaravit, vix ut potuisse errari videatur. Qui quemadmodum solam navigandi peritiam celebrat in extrema stropha, ita hic minime procreatum a Neptuno equum, sed illo auctore frenatum se cogitare, non igitur equitia sed equitatum conlaudare, planissime his quae subicit verbis docet, quibus non, quod potuerat, ἵππον κτίσας dixit, sed ἵπποισιν τὸν ἀκεστῆρα χαλινὸν πρώταισι ταῖσδε κτίσας ἀγυιαῖς excluso altero. Quae cum ita sint, ipsam viam veritatis iniisse Reisigius credendus, e glossemate repetitum εὔιππον *) confidenter tollens. Sed quod eo interpretamento expulsum coniciebat, εὔπλουτον, id vero probabilitatem habere negandum est. Nihili est sane quod Hermannus obiecit, reputandum fuisse dona Neptuni hic commemorari debuisse. Satis enim perspicue Reisigius comm. crit. p. 294, quam esse rationem sententiae vellet, aperuerat: quippe uno εὔπλουτον vocabulo ambo Neptuni dona generatim comprehendi, quia ad opulentiam utrumque pertineret. Quamquam ne sic quidem nobis persuadet: nam et semper aliquid alieni inferri sentimus et abhorrens a simplicitate, nec illud satis intellegimus, cur res equestris navalisque potissimum ad divitiarum cogitationem revocentur, certissima opum effectrix olearum fecunditas non item. — Atque ratiocinationem quidem hanc nostram in incertorum numero non habemus: sed inde quid sit consectarium h. e. quid scripsisse Sophoclem dicamus, incerti haeremus ut qui maxime, non quo nihil in promptu sit, sed quod nimis multa suppetunt. E quibus fatemur fuisse cum praeter alia hoc placeret:

δῶρον τοῦ μεγάλου δαίμονος, αὔχημα μέγιστον,
σέβας τόδ' εὔπωλον, εὐθάλασσον·

quem versum non profecto insuavi concinnitate ad similitudinem antistrophici confor-

*) Inrepserat iam εὔιππον glossema, cum haec verba scholiasta scripsit: παρόσον ὁ Κολωνὸς ἱππεὺς ἐλέγετο καὶ Ποσειδῶν καὶ Ἀθηνᾶ αὐτόθι ἵππιοι. Nam haec ad εὔπωλον scripturam spectare parum sane credibile. — Consulto autem hic εὔπωλον posuisse poeta variandae orationis caussa videtur, postquam ab εὐίππου nominis notione canticum suum omne exorsus est: praesertim cum statim insequatur ἵπποισιν v. 714. Vtrumque si iunxisset, εὔπωλον εὔιππον potius quam inverso ordine dixisset, quia usum et disciplinam praecedit partus et alitura.

matum dixeris:

φύτευμ' ἀχείρητον, αὐτόποιον.

Quod si sua se virtute commendet, bene est: sin minus, nostra commendatione nulla gratiam maiorem inibit.

Et de Sophocle quidem haec hactenus: quem mementote σωφροσύνης atque εὐκολίας in quovis genere exemplum et admirabile et prorsus amabile exstare dignissimumque quod in suo quisque genere aemulemur cum honestatis fructu uberrimo. Quod superest, scholarum infra positarum copiam atque varietatem consolitae industriae vestrae commendamus adque ea vos studia, quae aetati vestrae imprimis conveniunt, ex officio cohortamur, quo vobis humanitatis praeceptrix, non corruptrix haec vita academica evadat neve in alienarum contentionum intemperiem atque acerbitatem optimarum artium dulcedo et tranquillitas vertat. Valete.

SCR. BONNAE PRID. KAL. MART. A. MDCCCLXII.